

MAIESTA-  
TIS HVNGARIAE  
AQVILLA

No. 29

A  
CHRISTOPHORO LACKNER  
I. V. D.

Inventa, & hieroglyphica eius in-  
terpretatione levissime de-  
scripta.

ANNO  
M. I. C. XVII.  
Sempronij.

---

KERESZTVRINI,  
Apud Emericum Farkas.  
M. DC. XVII.

148266

667716

MAGYAR  
TUDOMÁNYOS AKADÉMIA  
KÖNYVTÁRA

MTAK



0 00044 31800 0

M. TUD. AKADÉMIA KÖNYVTÁRA  
Könyvtár... 20.85./19. 89.

MAIESTA-  
TIS HVNGARIAE  
AQVILA

No. 29

A

CHRISTOPHORO LACKNER  
I. V. D.


Inventa, & hieroglyphica eius in-  
terpretatione levissimè de-  
scripta.

ANNO  
Ob. Io. C. XVII.  
Semprony.

---

KERESZTVRINI,  
Apud Emericum Farkas.  
M. DC. XVII.

MAIE STAS



AUXILIVM MEVM A  
DOMINO.

August. in lib. de Pastorib.

Cap. 8.

Vbi pietas, ibi castitas,  
Vbi castitas, ibi sapientia,  
Vbi sapientia, ibi justitia,  
Vbi justitia, ibi summum bo-  
(num,


Vbi summum bonum, ibi DE-  
(VS,

Vbi DEVS, ibi OMNIA.

Ergo

Pietas ad omnia utilis. Prov. 3. ca.

Eccl. 15. 24. 33. cap.



DEVS  
EST  
MEA  
Eminentissima  
TVRRIS  
Regnoq;  
Invigilo  
Vngariæ  
Salutariter.

NEC  
Aurum.  
Populive  
Rumor.  
A  
G  
Lloria.  
Inhibeant.

*EPISTOLA DEDICATORIA.*

*Salutem & pacem aeternam  
ab authore salutis nostræ  
IESV CHRISTO.*

**ILLUSTRIS-**  
**SIMO REVERENDIS-**  
**SIMOQUE DOMINO DE-**  
**METRIO NAPRAGI, ECCLE-**  
**siarum Colocensis & Bachiensis Co-**  
**nonicè Unitarum Archi-Episçopo,**  
**Administratori Episcopatus Iauri-**  
**tiensis, locorumq; eorundem Comi-**  
**ti perpetuo, & Regiæ Maiestatis**  
**Conſiliario dignissimo, & invi-**  
**gilantissimo, Domino & Pa-**  
**tronō suo omni obſervan-**  
**tiæ cultu honorado.**

**CICERO, *disertissimus***

Orator Romanus, & summus  
Politicus; Amicitiam omni-  
bus rebus humanis anteponen-  
dam esse duxit: quum nil a-  
què adres secundas vel adver-  
sas conveniens sit. Ecclesiast.  
quog̃ Cap. 37. eleganter monet  
& præscribit, quomodo ami-  
cus sit observandus, & amici-  
tia excolenda, his: Non obli-  
visci amici in animo tuo,  
& non immemoris illius in o-  
peribus tuis. Amicum hic non  
communem, sed Patronum &  
litterarum splendore apprimè  
condecoratum præfulem. &  
Archiepiscopum intelligo;

Quip-

Quippe esset præsumptio ne-  
quissima hunc ab illo non sepa-  
rare. Hæc itaq; duo me adi-  
gunt, ut talem Patronum ob-  
servantia cultu, omni operâ &  
studio observem, ne memoria  
excidant singularis eruditio, ex-  
perientia, facundia. Item mo-  
rum speculum, politeiæ perpen-  
diculum, & super omnia hu-  
manitas omnimoda, quæ ita  
in Illustrissimo atq; Reveren-  
dissimo eminent, ut hesperus  
inter reliquas stellas & Syde-  
rum ignes lucet. Hæcque o-  
mniasat superq; sæpiissime-nu-  
mero, ab ampliss. lib. pub. rei

nostræ senatu, ad Illust: ordinatus, luculentè animadver-  
ti. Indeq; non exiguum erudi-  
tionis & humanitatis thesau-  
rum, pro viribus ingenij, hau-  
si & collegi. Nulla namq; Cæ-  
na prandiumve præterit quin  
ipse doctissimarum disputatio-  
num ansam præbeas ( immò  
ne in curru quidem quietem ca-  
pere, vel à telis argumentatio-  
num immunis esse quis potest.)  
aliis tamen indissolubiles que-  
stiones; ipse dissolvias: ut vere  
& hic quis dicere optum' que-  
at, Illustriſſimi Cænam, quem  
ad triduum alere, & vere Pla-

tonicum esse; quippe habet quis  
quod & sequentibus diebus;  
dones ab orificio stomachi ad  
fundum cuncta tendant; vol-  
vat atq; revolvat. Hinc ritè  
etiam dicto loco Ecclesiastici ha-  
betur; *Vir peritus multos eru-  
dit, & animæ suæ savvis est.*  
*Ne itaq; surda aure tantum*  
Patronum præteream & in-  
gratitudinis notam in me deri-  
vem; quæ extrema est turpi-  
tudo; *Volui lanas caprarum*  
*sive pilos, & arietum pelles;*  
*quando aurum & argentum*  
*offerre nequeo; amoris, recor-  
dationis, & quod magis est ob-*

servantiæ causa, tanquam ar-  
gumentum & Symbolum fu-  
turæ gratitudinis pro viribus  
offerre. Id ipsum autem est  
Aquila, regina avium &  
alituum excellentissima ales,  
quam subditi, Regiae Maie-  
statis, Domini mei Clementis-  
fimi, aucupium litterarium.  
Ægyptiacò studio in porta pri-  
maria Soproniensi publicavit,  
eo ipso verò splendorem Regi-  
um & subditorum obsequium  
unâ declaravit. Quod aucu-  
pium & studium candide &  
simpliciter à me cæptum, mul-  
tie pro palato satisjecit : innu-

merabilibus vero solicitudinibus propemodum nonnullos etiam conturbavit, quo stimulo? sincerus & candidus discutiat. Quare Patronus mihi quærendus erat, cuius patrocinio morsus & invidiae tela declinare possem. Te itaq; Illustriſſime Praeful eligo, ſic modo haud gravatim id muneris ſuscipias, oro) vel ideo; ne tui immemor vel meis qualiter cung; operibus ſim; meq; in primis vero aeneis typis perpicue & luculentiter evulgatam aquilam, commendem. Sic namq; non vereor M̄mos & detrectato-

res, immo ipsam, quae imasum  
mag, petit, & quævis arrodit,  
*Invidiam.* Noveris tu dextre  
præstare Patroni officium;  
nec me, quæ à Clientibus requi-  
runtur, prætereunt. Inscripti  
si quidem hanc nobilibus & stu-  
diosis Sempronienibus, inter  
privatos tamen parietes; Ast  
quia de publicatis publicum est  
judicium, omnes tuo Patroci-  
nio opus habemus & meritò te  
hoc honore afficimus. Non  
quippe ingenium, non singula-  
ris eruditio, non labor tantus  
hic cernitur: quum vix hebdo-  
modæ unius inter publica ne-

gotia labor dici queat; te vero Illustrissime atq[ue] Reverendissime Præsul dignum, perfectum aliquod esse debet: Nequit vero perfectum esse nisi quod multa dies et multa litura coercuit elimatum. Solus hic benevolentia fons exsuperabundat, et in rivulos observantiae se diffundit. Vale Illustriss. atq[ue] Reverendiss. præsul, et me redamare perge. Data Semp. Anno ut sup. DEI-Hominis. die V. VIIbris.

Tuam Illust. atq[ue] Reverendiss.  
Dignitatem,  
Reverenter et demissè colens.  
Christophorus Lackner,  
I. V. D.

# IN SIGNIA, ILLVSTRISS. ARCHI- EPISCOPI COLOCENSIS

Demetrij Napragy : Forumq;  
Insignium brevis emblemata-  
tica adumbratio.

**U**t plurimum insignia ab Imperatoribus & Regibus vel propter res egregie, felicitè & utiliter Reipub. gestas ; vel ob virtutes apprimè necessarias impetrantur. Unde etiam Nobilis, quasi noscibilis dicitur, qui propriis virtutibus & gloriâ in plebe eminet. Hinc Tertullianus: Quod

virtute insignes fuerint maiores, id nostrum non est: quod ex illustribus nati sumus, hoc nostrum & illorum est, & untrinque radios & splendorem habet: At ut tales reverasimis, studiosè enitendum est. Necenime eugeneia seu bona & clara nativitas est, ei qui malus est, sed potius kakogeneia, prava genitura. Quod Euripides probat; Bonus mihi vir nobilis videtur: Qui vero non justus est, licet a patre meliore quam Iupiter sit, genus deducat, ignobilis mihi censetur. Hinc illud quoque:

Nobilitat Virtus hominem virtu-  
( te remota,

Migrat in exilium, nobilita-  
( tis honos.

*Nostro seculo mirum, me-  
ritó censetur, quod illi solum  
modo verè nobilitatis titulo &  
prærogativâ præ aliis gauder  
præsumant, quia à nobilibu  
Parentibus traxerint, origi-  
nem: reliqui vero qui noviter  
splendorem hunc ut supèrius di-  
xi impetrârunt, non æquè sint  
generosi; Ac si eorum præde-  
cessores non etiam aliquando  
fuerint novi, & illi solum ca-  
litus huc nobilitate condecorat  
sint delapsi. A principio & e-*

*mundi*

mundi ortu namqz, usqz in ho-  
diernum diem alternata series  
ex splendidis sordidisqz parenti-  
bus produxit nos. Nec facit  
nobilem, atrium refertum su-  
mosis imaginibus, sed demon-  
stratio virtutum singularis.  
Ut tut hae duo veritati sint con-  
sentanea, æqua, & legitimi-  
rationibus comprobata; tamen.  
ita hodie comparatum est, v.  
nobilis sine numis; Item virtu-  
te præeditus sine numis, æque  
Curiam ægrè consendant, &  
neuter acceptus, gratus, &  
in honore habitus sit sine precio  
ut Ovidius certè experientia

*Magistra. li. 3. eleg. loquitur:*  
 In pretio pretium nunc est, dat  
 (census honores,  
 Cens⁹ amicitias: pauper ubiq; jacet.  
 Curia pauperibus clausa est, dat  
 census honores,  
 Inde gravis Iudex, inde seve-  
 rus Eques.

In proæmio Ovid. lib. 14.

*Quid igitur in hac varietate  
 & fortune prærogativa di-  
 cendum erit? Nisi namq; &  
 genere & virtute & numis  
 quis fuerit clarus, ut patet, vix  
 veri nobilis Titulo ornatur,  
 Heu nobilitas! Est quidem  
 summi beneficij loco reponen-  
 dum, quem DEVIS his benefi-  
 ciis condecoravit. Ast si in-*

primis

primis, vel omnibus non conceditur, in secundis etiam consistere honestum erit. Virtus tamen, ut cuilibet non infimæ sortis constat, sine nobilitate lucet & radiis mundum illuminat. Nobilitas nuda sine virtute mera vanitas vanitatum censetur. Illa, si pecunia accesserit, rutilat; hæc, quamvis acervus pecuniarum adfuerit, tamen revera nobilitas dici non potest, quia nobilitas virtus est. Ubi autem non est virtus, mera vanitas dicitur.

Hinc illud:

Scuticiam patiuntur opes moresq;  
( solutos,

Et pascunt nugis otia vana me-  
 (ris.

Sardanapalæo corrumpunt corpo-  
 (ra luxu,

His comes est avidæ crapula ami-  
 (ca gulæ,

At qui his se credit seq; his putat es-  
 (se beatum,

Illæ Midæ est dignus qui gerat  
 (auriculas.

*De Catone dicitur, quod is  
 magnus Orator, magnus Sena-  
 tor, magnus Imperator fuerit,  
 imo & bonus agricola & ru-  
 sticus, ut liquet ex eius libris  
 de re rustica. Julius Cæsar  
 Pontifex erat maximus: Cic:  
 Senator, & iij duces & mili-  
 tes. Magna sunt hæc Illust.*

atq; Reverendiss. Antistes,  
Et rara, Omnia nilominus in  
te deprehenduntur. Virtus ta-  
men Et nobilitas Principes tua  
discretione obtinent partes, nec  
tanti astimas thesaurizare,  
parergo, nam q; est hoc apud  
te, idq; comprobat experientia.  
Id demonstrant insignia. Ubi  
sacerdotium Et castitas, vir-  
tusq; eminent. Quare addu-  
ctus his tuis apprime singulari-  
bus virtutibus quadantenus  
Emblematica Et hieroglyphi-  
ca descriptione insignia tua  
Illustrissime Praesul declarare  
Et describere constitui; brevi-

ter tamen. Scutum sive clypeum cernere est galea imposta; Honoris insignia; quippe clypeus ab Imperatoribus sive belli ducibus donatus, militibus ob singulares res gestas & strenuam manum honoris symbolum erat, hinc Livius: Clypea templis illata ac Diis dacta. Et inter reliqua virtutum præmia, hoc non postremū erat; & pari honore & splendore cum hasta scutum procedebat. Scuta hastis illis a namq; pugnæ initium significabant. Moris enim fuit, ut hostes jamiam pugnam inituri ad

conci-

concitandos militum animos,  
uno eodemq; tempore sub da-  
tum signum, Scuta percuterent  
hastis, strepitu quam maximo  
possent excitato. Sic origo Cly-  
pei sive scutie extat. Hinc mos  
laudabiliter introductus inter  
nobiles adhuc hodie viget, &  
Imperatores ritum hunc lauda-  
biliter introductum observat,  
beneq; de publica re meritos in  
insignibus clypeo ornant. Et  
prout quis demeruit Coronam  
vel lauream ex rebus gestis, cly-  
peo inserunt, & pro nota ad-  
scribunt; ut puta strenuo, gla-  
dium, Leonem, quum, hastā,

columnnam adaptant : Pio  
Pictram, Crucem, pedum pa-  
storale, thuribulum, aram i-  
gnem, manus erectas, ciconi-  
am, Ecclesiam : Casto, flores,  
rosas, Rutam ( nam ut Dio-  
scorides ait genituram in potu  
cibog̃ extinguit ruta ) Turtu-  
rem, ( quippe continentissimam  
viduitatem exprimere volen-  
tes Turturem in aliquo ramo  
insidentem pingunt. Ea enim,  
coniuge vitâ functo, ita se ab  
aliorum volucrum consortio  
separat, tantiq; memoris exem-  
pla exhibet, v. nunquam inde  
inire societatem cum alio quo-

piam patiatur, sed quod reli-  
quum est vitæ, absq; coniuge  
in perpetuo cælibatu degat, so-  
la volat, neq; in frondescenti  
ramo unquam insideat.) Item  
Virginem, & quæ non? O-  
mnia ut dixi quo symbola sint  
virtutum, & quo posteritas  
calcar & incitamentum habe-  
at vestigiis maiorum inssten-  
di, & ad altiora aspirandi.  
Corona itaq; hic in clypeo ex-  
tat regia, que præstantissima-  
rum virtutum præstantissimū  
est præmium. Nam Regiæ  
potestatis significatum fascia  
& olim juu, sive Diadema.

Corona alias legum est indicium, propterea quod certis est vinculis complicata, quemadmodum leges inter se colligatae sunt. Eadem ratione in Divinis etiam litteris ipsæ sepes legum sunt, hieroglyphicum. Frequenter etiam Corona promuris Urbium usurpatur. Muri namqz Urbium ad instar coronae sunt. Et sacerdotes ad murorum defensionem & tutelam tempore obsidionis tenentur lege. Quare virtus hanc tibi tribuit merito Illustrissime Antistes. Ex hac germinat & ascendit pudicitia imago, castitatis

tatis symbolum, Virgo, virtutum ornamentis ornata, gladio & stella. Ille justitiae perpendicularis & normam; haec lumen & fontem benignitatis declarat. Iuniorum in hac disciplina inventum est, severitatem & strictam justitiae administrationem, per exertumensem, manu virginea praetentum significare, cui ad aequitatis indicium trutinam insuper addidere. Veteres vero pro ense fasces cum ad alligata securi in dextra manu statuebant. Quia vero Iustitiae administratio in vigilantiam efficit flagi-

flagitat, Ideo non inconvenienter stella adposita est gladio, ad instar custodis. Nam hieroglyphice, stellæ custodes adumbrant. Sic circuitionis indicium stella Agyptiis habebatur, propterea quod stellæ perpetuo circumeuntes & pervigiles, facta, consiliaq; nostra omnia videntur explorare. Sic etiam angelos per stellas; qui ppe qui Christianorum sunt custodes; intelligunt. Apud Horam legitur stellam DEI esse hieroglyphicum. Hæc omnia quam apte & convenienter respondeant & inter se

conve.

conveniant, prudens colligat,  
quam regie vero & egregie  
Illustrissimo adscripta sint, syn-  
cerus candide & simpliciter di-  
scutiat. In galea porro,  
quæ nobilitatis argumentum  
est, videre est Mitram, cru-  
cem, & pedum pastorale, quæ  
Ecclesiasticum & sacerdotij  
hieroglyphicum, potestatemq;  
Ecclesiæ regiminis adumbrant,  
& summum in spiritualibus  
honorem & præmium tribu-  
unt. Sicreliqua è Mitra  
dependentia ornamenta, sub  
eadem significatione sunt. O-  
mnia officij & dignitatis spe-  
culum

culum, & virtutes tuas eximias repreſentant, de quibus latius multis nolui diſertare quum vel his abunde, plene & luculenter diſcretio tua, Virtus, & in administra-  
tione dexteritas, adum-  
brentur.



REVEREN-  
DIS, EGREGIIS, EX-  
CELLENTISSIMIS, DO-  
ctissimis, Prudentibus & Circum-  
spectis Viris, DOMINIS Senio-  
ribus, Magistro Fœderis, Studioso-  
rum Nobilium Sop. Confæde-  
ratis, Dominis & Contribu-  
libus suis, omni obser-  
vantiæ cultu hono-  
randis.

EPISTOLA.

Salvebis à LACKNERO Ex-  
cellentiſſ. C O R O N A studiosorum.

*Id quod ROMÆ non mo-  
do Pamphilo Architecto, Sti-  
choq; accidit collegæ suo, servis;*

Libe-

*Liberis quoqu, hominibus, Augerio, Titio, Seio, Numerio. Mævio & Sempronio obiciebatur.*

*Quid mirum igitur si pariformiter mihi à quibusdam aristarchis Censoribus & Criticis, in hoc feraci Criticorum seculo benevolis juxta & malevolis eadem evenerint.*

*Quippe hi liberi homines, sive arcus Triumphales, sive obeliscos, sive pyramides, sive Domum, palatiave, per mancipia sua servos; nimirum Mediastinum, Medijve actus hominem, Architectos & fabros, extuxerint: si publicitus erigebatu opus: publicum omnium erat de publicatis judicium. Nam quo*

capita mortalium, tot judicia & opiniones sive sensus, licet interdum monstrosè satis.

Hinc Augerij structura  
Romæ, Titio in anfractum;  
Titij opus, Augerio in porre-  
ctum nimis videbatur positum.  
Vel Numerius nimis splendidi-  
domum suam ornauit, viri-  
busq; maiora ausus est. Item  
fenestras nimis patentes, aper-  
tas, patulas, angustas, lumi-  
nibus proximi defuturas Seio  
nempe Vicino & Critico sua  
fecit, & sic consequenter censori-  
am usurpant virgulam mor-  
tales. Citius namq; carpere quam  
( imitari licet.

Sicq; Viatoribus omnibus  
 ( nisi pupillaris ætas fuerit,  
 quæ quicquid videt ignorat )  
 disputationis dissertationisque  
 ansa, & occasio reprehensionis  
 vel adprobationis dabatur. Et  
 ubi privatorum sumptus, in  
 proprio solo, ædificium bona fi-  
 de remoto dolo, fuerit positum,  
 minus verendum erat, pericu-  
 lig; tantum vix Domino emi-  
 nebat :

Siquidem quilibet est moderator,  
 & arbiter rerum suarum, dum ad cæ-  
 lum usq; ædificare licet, modo lu-  
 minibus vicini fabrica babilonica  
 non officia.

Hieroglyphicisq; Ægyptiorum,

notis, picturis, charactere, senten-  
tijs, aphorismis domus & ædes orna-  
re fas erat, estq; modò in præiudi-  
cium tertij proximive non vergat  
& redunderet, quod contra omne fas  
esset, & arbitrio Prætoris in Tabula  
Sestia dignum. *Ast longè ali-*  
*ter statuebat edictum prætoris*  
*de iis, qui malitiose, & non*  
*satis cautè, publicè, in publico*  
*loco, in solo Principis, Reipub-*  
*lic, & non proprio, inconve-*  
*nienter; lata culpâ, doloq; non*  
*nulla scripserunt, pinxerunt,*  
*struxerunt, effuderunt, deiece-*  
*runt. Idq; vel per se, vel per*  
*suos Pamphilos & Stichas, Se-*  
*plasiarios, Vitiligatores, &*

homines Triobulares, Philoxenos, Apicios, Bonosos, Serdanapalos, aliosque Epicuri degrege innumeros quadruplatores, facere studuerunt, quod perinde est: Quod enim, quis per alium facit, ipse fecisse videtur..

Summo autem studio & summâ cum dignitate & utilitate quoq; prætorem id edixisse aſſeveraverim, nemog; est qui neget. Ulp. lib. 23. ad Edict. Publicè enim utile est sine calumnia, iniuria, metu, & periculo per itinera commeari l. 1. §. 1. ff. de his qui effu. vel deiecit. Et argumen-  
to huius L. sine ignominia & præ-  
iudicio tertij & proximi, omnia

censentur tam in privato & proprio,  
quam publico fundo solum licita &  
concessa, cum primis si præcedente  
assensu ( qui non denegatur ) quid  
in publico sit factum : quippe quod  
nemini nocet, & alicui prodest facile con-  
cedendum. Rebus itaq; sic stanti-  
bus seq; habentibus , quis est,  
qui judicet me adeò fuisse in-  
consideratum & indiscretum  
bacchicoque percitum furore  
quem hæc præterijsent : Illicoq;  
per transennam ferè, in non  
privato loco, non propria do-  
mo, non platea duntaxat , ve-  
rum in porta primaria publica,  
quasi frontispicio picturam Em-  
blematicam contra fas posuisse.

Quippe vnicum erat animi propositum, ut Patriæ charitatem, (quæ maxima secundum illud Ovidij :

Nescio qua natale solum dulcedi-  
( ne cunctos

Dicit, & immemores non si-  
( nit esse sui )

Erga Regiam, Maiestatem, vere  
PATREM PATRIÆ propter tot  
& tanta in Regnum & per conse-  
quens Patriam, SEMPRONIAM  
collata beneficia declararem :  
quia id ipsum feci, & Patriæ  
studium, amorem : exemplo  
Vespasiani Cæsaris ( si maxi-  
mis licet componere minima )  
cui Cosona nomine villula, in  
qua primo lucem adspexit, a-  
deo in deliciis fuit, ut ne Imper-

rator quidem eam unquam de-  
sierit frequentare, quæ homi-  
nem tantum produxerat, &  
quod illic natus primum vagi-  
isset: meamq; obseruantiam  
obedientiamq; debitam decla-  
ravi; Non defuerunt Aug-  
geriani, Titiani, Seiani, Nu-  
meriani, Neviani, & ipsi  
Sempronenses, dixerim qui-  
dam, qui suffragia sua in hie-  
roglyphicam meam Aquilam  
contulerunt. Non malevoli  
magnâ quidem laude declarâ-  
runt benevolentiam ornatus  
& observantia gratiâ positam:  
Non benevoli vero scioli na-

suti, apud quos boni in patriam fecisse non benigne est, ( de illis loquor animum qui improbarunt candidum & simplicem ) ludibrio & irrisui exposuerunt subditi affectionem in Regiam Majestatem, quibus semper obieci illud :

Nasutus sis usq[ue] licet sis deniq[ue]  
nasus.

Dixerunt hæc & similia multi, prout ex aliis percepit : Novitas hæc est, ideo odiosa; Pictura hæc est, quæ me præterit. Davus sum, inquietus quispiam, non Oedipus. Scias me rudem, obtusum, hebetem

craf-

crassum verēſe, & ad intelli-  
genda interpretandaq; obscuri-  
ora ænigmata minimè idone-  
um. Quidam Gallum galli-  
naceum indigitārunt, aliasq;  
non absimiles cicatrices indide-  
runt, utputa, Nonne poterat  
author aliud monitorium ad  
conſervandam memoriam, vel  
pro Regio honore erigere,  
scriptisq; declarare, pulchrius  
vel durabilius?

Titio, Aquila torvo vul-  
tu, oculis tyrannicis lynceisq;  
picta videbatur.

Mævius Aquilam ausus

est dicere, rostrū nimis ad unum habere.

*Augerio apum examen non fuit integrè positum.*

*Titium paucitas pennarum movit, Siquidem septem ordine principes & secantes solum vidit pennas.*

*Numeria color non quadrabat, iure scriptura alba interpicta.*

*Seius movit duplicem Crucem rubeam, Sempronius non.*

*Quid denuò mirum, si & tu sincere Corona excellentissima, inquiras interpretationem.*

quam

quam quia prout temporis brevitas admisit, commembris fæderis aliquando ore tenus aperui, nec dissona visa est; eam ut in scriptis & pictam adhuc traderem efflagitârunt & alij. Quibus cum totâ Corona studiosorum, quia maiora debeo, obsequium vel in hoc, & maioribus despundi; Et quia omnis promissio cadit in debitum, me nexu debiti exsolvere hisce meis ad te litteris volui. Accipe excellentiss. Corona studiorum, mentem meam & emblematicam sive hieroglyphicè pictam Excellentiam & Aquilæ.

*Maiestatem.*

MAIESTAS.

*Maiestas erat olim dignitas & amplitudo populi Romani. Cic. pro Corne. Balb.*

*Nunc quoq; in Imperatoribus & Regibus Maiestatis splendor lucet & eminet.*

*Angustia spatij & loci qualitas in Porta primaria Sempronensi interpretationem symboli Emblematici non admisit, Nam si adiecisem ad characteres singulos unius vel alterius litterae sensus; aut eadem linea non perfecisem, aut minutulas nimis exarascim figuras.*

guras litterarum. Ne autem  
in hoc vel illo errorem commit-  
terem, symbolo contentus buc-  
usque, porro interpretationem ac-  
cipe.

MAXIMVM  
ASYLVUM  
IMPERII  
EST  
SVBEDITOS  
TVERI  
AMARIQUE  
SYNCERE.

Ut itaq; Tuguriolum, Do-  
mus, Civitas, Provincia, Im-  
perium, Regnum:, rebus ad  
vitam humanam necessariis,  
omnium multo florentissimum  
sit & abundet; non bellum, non  
arma, non phalanx, seu ped-  
tum stabile agmen duntaxat  
requiritur, sed pax; Una sa-  
lus bello pacem te poscimus o-  
mnes: Et licet Nœma in di-  
verbium devenerit, seq; offre-  
rat: Pax bello paratur: Ta-  
men huic ita obviam venit  
alius aphorismus: Ex errori-  
bus & perperam susceptis negotijs,  
varia proveniunt absurdā & incom-

moda, vt plurimum autem ex bellis,  
(vbi errare non fas est) ex quibus  
semel inconstantè & circumspectè  
susceptis, naufragium omnium bo-  
narum rerum oritur: & vicissim  
immensum pelagus omnium non-  
laudandarum rerum & infelicium  
exundat. Et licet justum sit bel-  
lam, est tamen necessarium  
malum. Bellumq; hoc dunta-  
xat dicitur justum, quod prop-  
ter pacem, quo sub vite & fieu-  
beatè vivamus, suscipitur. Ut  
itaq; pacifice vivamus opus est  
Tutela Gubernationis & Re-  
gis benigni & Clementis: Cle-  
mentia namq; etiam male sibi  
conscios invitat ad meliorem  
frugem: Non Tyranni, Nam

ut vix elegantior & pulchrior  
or denominatio & nuncupatio,  
quam Regis; ita est contra vix  
invisior & omnium mortali-  
um sensibus execrator quam  
Tyranni.

Qui Gubernatores duo ita  
conveniunt, ut inconvenienti-  
us nil Proceribus, Regnicalis,  
incolis, & inhabitatoribus ac-  
cidere possit. Ille nil in dubium  
revocat, subire etiam mortem  
pro subditorum vita & salu-  
te, feliciter status; eoque fini omni-  
a perse & suos dirigit, ut ater-  
nitatis famam post mortem  
superstitibus ex augusta ad-

mini-

ministratio*n*e relinquat :

Hic non quod ad eundem scopum tendat, quin potius omnia ad proprium, & non suorum emolumen*tum* detorquere per fas nefasq*z* solet.

Id quod per immitem Dominum & propitium Patrem eleganter demonstratur. Hic paratus est vitam liberis & posteris impendere. Ille unicum querit emolumen*tum* proprium, animoq*z* suo morem gerit, potius quam suorum saluti consulat; Hinc non injuria tribuuntur & adscribuntur detestanda humano generi nomina;

Phalaridis, Mæzentij, Dionisij, Syracusani, Caligulae, Neronis, Domitij, ( qui Deus Deorum & Dominus dominantium dicitur voluerit,) huiusmodi Regibus; Qui nihil minus tamen ut dixi Maiestatis vocabulo Tutelam gerunt, ad quam tanquam ad Asylum confuere afflicti & ærumnarum fluctibus perculti consueverunt, nil tamen minus re ipsa declarant. Ultra haec in symbolo hieroglyphico habetur: Amariq, sincere: siquidem diligi, nisi & ipse diligat, Princeps, non potest. Ut

respon-

respondit Domicius Orator ad Cæsarem: Cur inquit ego te habeam ut Cæsarem, cùm tu me non habeas ut Senatorem. Est itaq; maximum Asylum Imperij, subditos tueri amaricq; sincerè. Amor autem non sit fucosus, sive utrinq; adulteratus; sed talis qualis in nova nupta, quæ extremè meisit dulci marito navigacionem periculosam paranti; Et qualis in materna commiseratione erga filium delicatum. Et in gravem militiam abiturū, deprehenditur. Secunda itaq; symboli hæc pars, id est, ama-

ri à subditis sincerè, Illico se-  
quitur, si prior pars, id est Tu-  
tela subditorum, ad effectum  
fuerit perducta.

Si itaq; senserit subditus  
Regem suum, Augustum;  
quod cognomen primo Octavio  
fuit impositum authore Dione.  
lib. 43. Clementem pium,  
( Haec appellations & nomi-  
na, Augustis Imperatoribus  
pro bono omne inauguratio-  
nis tempore à S. P. Q. R. ad-  
clamabantur & attribueban-  
tur ) Serenissimum, quod Gor-  
dianus sibi primo adscripsit.  
Si inquam talem subditus sen-

serit Regem, Protectoremq;  
sive Induperatorem, re ipsâ,  
non titulo tenus, è vestigio, re-  
damare, revereri, honorifica-  
re serio eundem Regem: Et  
Magistratum sibi à D E O  
præscriptum assolet. Et si ultrò  
citrog; partes hæ, tam obsequij  
quam Imperij amoris Et ob-  
servantia vinculo dilectionisq;  
conglutinatione fuerint sic liga-  
tæ, consequens est, ut ex iuti  
nexu mox libertas, Pax, ordo,  
Et omniū pia exultatio sequa-  
tur: Sin fecis, Et in insignis  
iniuria à Rege vel Regiis libe-  
ris in unum aliquem e Regni

Proceribus populo gratum & magnis necessitudinibus suffultum; pluresve sit facta. Nō tandem tunc quod fœpe talis iniuria eius Regis ejicendi occasionem dederit. Sic Tarquinius superbus electus. Liv. Dec. 1. lib. 1. Et plerumq; accidit, ut Regum insolentia & Tyrannis efficiat, præsertim apud feroceſ & militares viros, ut Monarchia in Democratiā mutetur. Sic Romæ accidit Liv. Dec. 1. lib. 2.

Hunc itaq; genuinum sensum excellentissima CORONA F. S. N. S. volo ut

ex hoc

ex hoc symbolo hieroglyphico  
Maiestatis, colligas, melio-  
nagj pro tua singulari discreti-  
one adicias, Ego brevis esse vo-  
lui ne te offendam.

Restat ut aperiam Emble-  
matis sensum, ne Davus, &  
qui non? in me cudat culpam,  
fabamve, Censoresq; alienorū  
scriptarum ut quietos reddam.

Reginam & Principem a-  
vium vides in porta primaria  
Regia, Regiae atq; liberæ Ci-  
vitatis Soproniensis, Emble-  
maticam nimirum Aquilam.  
Dixeris, bene, Quid autem  
avis ista orientalis & occiden-

talis, septipennis, ( sit venia,  
non usquequaq; insolentiae vo-  
cis ) Imperatoria, Castrensis,  
Excelsa in Hungaria? Ex qua  
plaga mundi huc Sempronium  
venit? & quæ non in tota  
figura.

Aquilam avem alti vo-  
lantem me posuisse scias, non  
quod vel Imperatorem, vel  
Cæsarem, vel Regem, vel Prin-  
cipem, vel hoc illud ve-  
dendet  
solum; aliâs sequeretur, quod  
REX noster eßet Evangelista  
Ioannes, aut Evangelista Io-  
annes eßet Cæsar vel Impera-  
tor, siquidem ex hagiographis

Theologi Iohannem Evangelistam per hieroglyphicum Aquilæ præmonstrârunt denotaruntq;. Habet enim Aquilæ descriptio sive hieroglyphicum, variæ interpretationes & significationes. Sunt namque qui per Aquilam Ægyptiorum natis significârunt Deum, quia alitum Princeps: Altitudinem, quia volatu & natatâ alta petit & penetrat: Victoriam, quia prisci Romanorum in signis castrrensibus, in pyramidis, obelisci, arcusq; Triumphalis machinis, hunc in modum Triumphantem & Vi-

Etores Imperatores descripſe-  
runt & denotārunt: Item ſang-  
vinem, qui non aquam, ſed  
ſangvinem bibit: Item ani-  
mam, quia ſangvine nutritur:  
Item mediā, quia ſenescen-  
tibus aquilis roſtrum ſuperius  
nirris fit aduncum, & adeo in-  
crementum ſumit, & incurva-  
tur, ut ad uſum proprium illo  
amplius uti non poſſint, &  
propterea media perit: Item  
Iuvenilem calorem, quia Da-  
vidi ita placuit: Renovabi-  
tur ut Aquila Iuventus tua:  
Item oculorum, ingenij ve-  
mcn, promptitudinem, tena-

cissim

cissimam memoriam, quia  
longè latèg̃ prospicit, & orga-  
no visus adeò pollet, ut remo-  
tißima quæq; prospectet, Præ-  
ter hæc & alia. Nostra hic  
ales non modò quedam ex his  
denotat, verum meā cum alio-  
rum intentione, præterea etiam  
excellentiam, præminentiam,  
faustissimum Augurium,  
Imperatoris simul & Regis fi-  
lium & nepotem Serenissimū  
MATTIACIM-  
peratorem, Regem Hungariæ  
eius nominis secundum ( quo  
Rege, ipsa veritate, & omni-  
um voce testimoniis, nullus ad-

huc Patriæ & tot Regnum  
habenas rexit charior) prout  
in ostentis s̄epissime Majestas  
tem portendit; pacificum Prin-  
cipem, quietum, ut qui Regna  
tumultuantia, provincias tu-  
multu & belli furiis inquietas  
tranquillavit, & in integrum,  
statumq; pristinum gaudenti-  
bus beneq; ominantibus uni-  
versis restituit; quippe insidet  
Regimini: Unde Aquila se-  
dens præclaræ alicuius rei ma-  
gno labore peragendæ judicium  
putatur.

Præterea nostra Aquila  
denctat fluminum & fluvio-  
rum

rum vim, & velocitatem, prout Hungaria præstantissima & fertilissima omnium Regionum & Regnum in insignibus etiam quatuor fluminum figuram præse fert, & iisdem denotari, ac propter excellentiam, ubertatemq; denominari voluit; Sic apud Agyptios in sacris eorum litteris, fluminis Nili hieroglyphicum erat Aquila, propter vehementiam & velocitatem cursus; ante omnia autem, cælitum decretis & divinitus oblatam gubernationem & in rebus gerendis prosperitatem denotat.

Aquilam cernis sedentem  
Et quidem ut dixi globo in-  
cumbentem. Globus vero mun-  
dum Et multitudinem homi-  
num quasi in unum congloba-  
tum significat. Geometræ desi-  
niunt globum solidum corpus  
( id est, optimum Et omnibus  
numeris absolutum Regem ) u-  
nicâ superficie contentum ( id  
est, unum, solum, absq; Regni  
sociis ) à quo omnes lineæ ad su-  
perficiem ductæ sunt æquales  
( id est, à quo omnia æqua lan-  
ce dependent, Et quo cunctare-  
deunt ) lib. II. Elementorum.  
Euclidis.

Quid Aquila sedens denotet hieroglyphice, superius dixi: insuper in Regnicolas Regis curam, regiminis studium, quietum Imperium, curâ tamen & sollicitudine Regis significat, id quod alarum motus in aëre declarat: Et quidem talem curam & Imperij studium, ne videatur aquila captare muscas, hoc est inutilibus rebus & Regno subditisq; de futuris negotiis incumbere, Non quod minutilas res, hoc est aerumnas pauperum vel negligat, clamosas voces & eius labunde quiritates haud exau-

diat non curet, vel parvis tem-  
pestivè & ante langvorem non  
subveniat medelâ competenti.  
Siquidem non invenuste Impe-  
rio & Regi adscribitur illud  
noëma.

Aquila interdum venatur & mu-  
scas. Magnis namq; debent minu-  
ta quoq; curæ esse.

*N*on deniq; immerito sed se-  
det in solio suo, hoc est in Regno  
proprio, nempe fidei sua con-  
credo, quia invicta, con-  
stans, veneranda, bonis solati-  
um & tutamen, malis terror  
& flagellum, Et sola fulgorem  
solis oculis inconveniens po-  
test intueri inconclusa & illæ-

sa & sola alituum fulminis  
ictu non laeditur. Non iniu-  
riâ itaq; sedet. Aquila eti-  
am alas habet ultrò citroq; ex-  
pansas & extensas, earum tu-  
tamine & defensâculo quo pa-  
cificè sub umbrâ & justitia  
splendore subditi vivere & de-  
gere valeant. Alas auten-  
planè exertas habet, non unam  
duntaxat, sed ambas, nec con-  
tractam unam, sed omnibus  
expositas, qui desideraverint  
talem Patronum & numen  
tutelare, ad imitationem Chr-  
sti Salvatoris, qui non huic  
vel illi, sed universaliter in ge-

nere passione sua salutifera  
prodefse voluit: Venite ad  
me omnes qui onerati estis, &  
ego exonerabo vos à jugo æ-  
rum narum sive fluctibus hu-  
ius seculi. Quippe expansus  
& exertus in cruce pro omnibus  
credentibus & fiduciam  
habentibus fuit & ipse author  
salutis nostræ.

Ultra hæc alis inscriptas al-  
bis juxta & rubeis coloribus  
cernis litteras latinas septem-  
numero, quibus litteris septen-  
nariis, Regis MA‡HIAE no-  
men excellentissimum contine-  
tur; dignum & justum autem

est, ut

est, ut non septies, sed septuages septies ab omnibus omni meliori modo laudetur. Matthias, præpotentissimus Cæsar & Imp. Rom. Et jacent alij Hercules, Theseos, Achilles, Hectores prædecessores. Decantent & ostentent Thebani suos Epaminondas; Persæ Xerxes ac Cyross; Lacedæmonij Ly sandros; Athenienses, Themistocles, Alexandros; Macedones, Hannibales; Pæni, Scipiones ac Cæsares Romani, nos collatione actuum facta, Iure Invictissimum Matthiam cui vis horum præponimus.

Quadrat autem apprime  
septennarius Regis numerus,  
ad septennarium numerum  
pennarum secantium vel prin-  
cipum Aquilæ alitis: Quæli-  
bet enim Aquila maiores & prin-  
cipes pennas secantes seu remiges  
habet septem, prout omnibus Ægy-  
ptiarum litterarum descriptoribus,  
& geneross. omnibus omnium  
temporum pictoribus constat.

Ubi itaq; videris Aquilam  
vel Aquilæ picturam pluribus  
his pennis depictam, illico judi-  
ces pictorem parum in sua pro-  
fessione profeciſſe, nec in excel-  
lentum pictorum numerum il-  
lum referendum, qui ea latâ


culpa

culpâ nescit, quæ scire deberet.  
Si itaq; distributionem nomi-  
nis (M A † H I A S) feceris per  
singulas litteras, in alarum ex-  
una parte, pennis; dextrè &  
ritè adimplent dextram alam,  
Septem pennis maioribus, toti-  
demque litteris septenariis or-  
natam, prout in pictura vide-  
re est. Non secūs judices eti-  
am de sinistra Aquilæ alâ, ubi  
liberarum Regni Hungariae  
Civitatum septem, ad sedem  
Thavernicalem, ab antiquo  
cursu Iurium pertinentium;  
(nunc auctus est numerus  
Modrensi Reipub. Aquila

tamen hâc primo depictâ , non  
dum in numerum lib. Civita-  
tum recepta & sede dotata e-  
rat, ) ordinem & nomina vi-  
deris in septem maiores & re-  
miges pennas : quibus itidem  
Civitates antiquæ eo spectan-  
tes descriptæ sunt ; utputa 1.  
*CASSOUIA*, 2. *POSO-*  
*NIUM*, 3. *THYRNA-*  
*VIA*, 4. *SEMPRONI-*  
*VM*, 5. *EPPERIES*,  
6. *BARTPHA*, 7. *SA-*  
*KOLCZ* Adistributa.

Scias etiam prout harum Civita-  
tum seriem cernis, ita etiam eorum  
sint in Regno & congregati onibus,  
diætis sive comitiis suffragia & vo-  
ces

ces. In dextro latere vero REGIS  
nostris Serenissimi atq; Clementissi-  
mi nomen extat, quod colliges ex  
primis litteris alae istius pennis sin-  
gulis inscriptis in hunc modum:



M A I E S T A S  
A V G V S T A  
T I B I  
H V N G A R I A  
I M P E R A T  
A N X I E  
S E M P E R.

*Maiores litteras nominis*

Regis rubeas cernis, minores  
vero albas. Albi itaq; & ru-  
bei coloris, qui colores Incliti  
Regni Hungariae, aequè atq;  
Austriæ proprij sunt. Du-  
plex vero Crux, ‡, & insignia  
Regni Hungariae, eleganter in  
Serenissimum Regem nostrum  
pro duplice T. T. quas litte-  
ras Regis nomen Romano ser-  
mone desiderat, coincidunt.

Sensus præterea reliquorum  
verborum & vocabulorum  
per se clarus est; neceget inter-  
prete, excepto ad verbio Anxiè,  
quod non nullos movit, quibus  
vocabuli derivationem & pro-  
prium

prium sensum communemq;  
objicio. Nam anxie imperare,  
nil aliud est quam sollicitè, cu-  
riosè regere & gubernare,  
Germanicè: Sorgfältig und embig Re-  
gieren. quo sensu & genuina vocabuli  
vi, eodem adverbio usus sum.

Præterea & præter declarata,  
eminet in capite aquilæ Lau-  
rea, signum & argumentum  
victoriæ, quæ in aruspicina  
subinde victoriām denotavit.  
Dignum & justum autem est  
Cæsar is & Regis Filium, Ar-  
chiducem & Regem propter tot  
felices victorias, felicissimosq;  
in maximis cæptis successus.  
(namq; orsis secundos ut pluri-

mum eventus & successus habuit) laureâ condecorare; prout & Imperatorum Triumphantium Capita in numismate & numis antiquis laureata plerumq; cernuntur.

Laurum item & hederam, pro signo ingenij semper virentis antiqui posuerunt.

Ex hac laurea porro id est honore Regio dependet utrinque aurei coloris Zona sive funiculus usq; ad spberæ medietatem sive centrum, & à dextris tenet aquila sceptrum, à sinistris gladium.

Sceptrum subinde fuit Re-

gni hieroglyphicum, ut patet  
in Genes. 49. Non auferetur  
sceptrum de Iuda. Deinde sce-  
ptrum tenacem boni & aequi  
(temperamentum quod est stri-  
cti juris) animum nullis avu-  
camentis à justitiæ norma de-  
flectentem significat.

Gladius potestatem, impe-  
rium, & justitiæ severam ad-  
ministrationem denotat.

Apud Gentes varias ha-  
buit significationes & notæ.

Iuniores verò hoc invento, Ju-  
stitiæ severitatem atq; rigorem per-  
exertum ensim voluerunt desi-  
gnare.

Veteres pro gladio fasces cum ad-  
alli-

alligata securi in dextra manu stantuebant.

Præfatus autem funiculus dependet ex laurea, tanquam honore, & sic alligatus sceptro & gladio, totam Regni machinam atq; gubernandi vim, quam sphaera denotat, suppor-tat, Ubi enim honor ibi onus.

Aquila unguum vero ve-hementiam & rigorem ambobus pedibus fortiter dicta sphaera comprimitur & observatur, Et sic una acumine oculorum si-ve organo visus valenti, un-diq; cuncta perlustrat, & præ-videt imminentia pericula,

quæ declinare legibus vel armis satagit, atq; studiosè procurat.

Regiam namq; Dcāiestatem non modo armis oportet esse decoratam, verūm etiam legibus, quo ad quosvis motus tempestatum fluctus, tām pacis quam belli tempore paratus sit, & Rex & Regni Gubernator fortis & strenuus, non modo ex hostibus & hostilibus praeliis victoriam deportet; Verūm Iurium tramite vitiligatores & malevolorum siue calumniantium tela iniqua declinare & repellere valeat,

quo

quo sacerdos & jurium boni  
& æqui scilicet Religiosissi-  
mus: secundum Papin. L. u-  
nun 67. § ff. deleg. 2. l. I. §. I.  
ff. de Iust. & In. ac devictis ho-  
stibus, Triumphator Augu-  
stus deprehendatur. Ex sceptri  
& gladij extremitate, capulo  
sive manubrio nimirum denuo  
triplex funiculus patellâ u-  
tringâ alligatâ ( tanquam Iu-  
stitiæ Insignia ) trutinâ depen-  
det, cum inscriptione; Iusta sta-  
têra; ut nullum malum impu-  
nitum, & nullum bonum irre-  
muneratum maneat. Omnia  
tamen ita ne sumnum jus di-

catur summa iniuria. Sed cuncta ex aequo & bono tanquam temperamento stricti juris procedant.

In globo porro sive Regno cernis commembrum statuum Regni Hungariæ, Insignia nimicum Regiae atq; liberæ Civitatis SEMPRONIENSIS: & consequenter inhabitatores Regios. Continentur & comprehenduntur vero insignia, in veteri alveario, Sceptri impositione in capite, sive summâ parte in porrectū; ad instar Turris, quod eā quā paret, unanimi studio & omni

moda observantiâ apum exa-  
men observat, quod etiam pa-  
riformiter, hoc est, ad unum  
scopum suis inhabitatoribus ad  
sceptrum nimirūm, alacritè  
et fidentiâ tendit.

Sciendum autem quod Æ-  
gyptij per apes hieroglyphica  
indicabant subditos Regi su-  
obsequentes et obtemperantes.

In meditullio siquidem alvearij,  
illorum scilicet Regem, collocan-  
& observant, omniaq; illi necessa-  
ria suppeditant, quem demum uni-  
versum apum agmen consecatur.  
ad instar fidelium Procerum & Re-  
gnicolarum, qui ad sanguinis effu-  
sionem, Regem illorum charum  
observant qui scilicet illos non fu-  
gat

gat ingrato & intolerabili sumi nigradine. Nam per examen apulm quod fumo alveario supposito describitur, fuga subditorum & intolerantia onerum notatur. Siquidem nullâ re æquè consternuntur & occiduntur in fugamq; convertuntur, quam fumo.

*Et quia omnibus constat  
quod exigua hæc Respublica,  
nullis avocamentis technis; do-  
lo, fraudeq;, spe lucri, aliisq;  
incitamentis à via recti & suo  
Rege fidelitatisq; nexu D E I  
G R A T I A receſſerit ullo un-  
quam tempore; Eapropter a-  
pes hic quoq; incorruptam vir-  
ginitatem non inepte indicant,  
castum, syncerumq; animum,*

Quippe apes acriter & nimis  
cito deprehendunt inpurum ho-  
minem. Et quemadmodum  
formica laborem & industri-  
am, ita & apes ingenij & in-  
dustriae indolem hoc est indu-  
strium, ingeniosumq; homi-  
nem denotant: estq; hierogly-  
phicum sedulitatis.

De Sceptro dixi.

Hoc loco sceptrum, Magi-  
stratum, REGES, RE-  
GINA M, Imperium &  
Regis potestatem præ se fert,  
ad cuius nutum in promptu  
quovis tempore constantes &  
fideles sunt subditi.

Vides

Vides deniqz, ambulatorias tres turres pro symbolo Civitatis Regiae S<sup>E</sup> MC PRO NIENSIS, Et in vertice extremarum duarum turrium stellas binas flavas, que longe lateqz, sparsam famam claritatem & excellentiam denotant, ut quemadmodum hesperus inter reliquias stellias & syderum ignes lucet, tu quoqz, emineas mea Sempronia, tam propter antiquitatis prærogativam saluberrimam aëris temperiem, sylvarum abundantiam, agrorum fertilitatem, Dominij excellentiam, loci situm,

pub. rei administrationem,  
Mænium & propugnaculo-  
rum firmitatem, quam vinea-  
rum & vinorum generosita-  
tem, & propter quæ non?

Tertia & media turris in-  
ter reliquas eminet. In calce  
vero patet porta quasi foramen  
tormentorum in circulo mura-  
li, siue munimine Civitatis.  
Unde apescen Cives & inha-  
bitatores ab examine ad sce-  
ptrum, id est, ad obedientiam  
debitam confluunt, nec volatu  
aberrant, sed rectâ petunt ad  
Regem eiusq; Imperium.

Pro inscriptione autem vel Sym-  
bolo

bolo insignium Civitatis hoc ser-  
vandum censeo, T V R R I S ET  
F O R T I T U D O M E A D E V S.  
Et quia reverâ subinde is fuit author  
nostræ salutis, in primis in hoc  
Boczkaiano tumultu, merito sem-  
piternas hoc sacrosancto dicto &  
symbolo gratias quoq; refert Civi-  
tas hæc Sempronensis. V A L E.

Vive diu dulces Neitoreosq; dies.

*Actum Sempranij Anno Domini,  
M. D. C. X V I. mense Ixbri, quo sva-  
vißimam. huius mundi lucem primò,  
Anno salutis nostræ M. D. L X X I.  
die festo Elizabæthæ divinâ adspirante  
gratiâ adspexi.*

Coronæ F. S. N. S.  
*Addictissimus & syn-  
cerus Author*

Christophorus Lackner,  
I. V. D.

Erra-

Errata sic corrige.

In Epist. dedic. pag. I. l. 10. pro Cono-  
nicè ; lege : Canonicè.

Pag. 20. l. 14. pro aliorum ; aliarum.

Ibid. l. 15. pro memoris ; mæroris.

Pag. 21. l. 4. pro volat ; volet.

Pag. 31. l. ult. pro vitiligatores ; vitili-  
tigatores.

Pag. 32. l. 2. pro Serdanapalos ; Sarda-  
napalos.

Pag. 38. post Sempronius ; adde quæ post

Pag. 43. l. 15. pro Gubernationis ; lege  
Gubernatoris.

666

FINIS.

